



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Qvæstio V. De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ in quatuor
articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

ciens non potest vniri ad componendum vnum A
per se, & multo minus ad componendam vnam per-
sonam: at verò vno cuiuscunque naturæ creatæ cū
Deo, tantum esse potest per modum vnius substanti-
æ, vel personæ. Secundo, quia substantia non potest
vlla ratione poni in alio per modum inherētis,
quia hoc pugnat cum natura substantiæ, quæ omni-
no est incapax tales modi essendi (& ideo licet hu-
manitas sit in Verbo diuino, non tamen inherendo,
sed alio modo accommodato substantiæ) ergo pari-
ratione natura accidentalis non potest trahi ad sub-
stantiæ. Tercio intelligi non potest, punctum im-
mediate terminare corpus, & superficiem, quia non
est proportio, nec capacitas, ergo simili modo, &c.
Et per hæc satisfactum est fundamento contrariæ
sententiæ, iam enim ostensum est hypostaticam v-
nionem repugnare accidenti, quia non est capax sub-
stantialis vnionis. Quod autē ibi dicitur sustentare
perinere ad perfectionem: respondetur hoc esse
quoddam commune, & analogum, quod in re po-
ni non potest, nisi in aliqua specie, seu particulari mo-
do sustentandi: ita ergo vnum sustentet aliud per mo-
dum subiecti, imperfectum quid, & potentiale esse
necesse est, & ideo non potest hic modus conuenire
diuinæ personæ: ita autem sustentet per modum sub-
positi, est quidem hic perfectus modus, excedit ta-
men imperfectam naturam accidentis, quæ non est
capax illius: alius autem modus sustentandi, qui sit
per veram vnionem, & intrinsecam, nec intelligi,
nec fingi potest.

Et ex his à fortiori colligitur, accidens actu inhæ-
rens suffecto multo minus posse immediate vniri
personæ diuinæ, quia & ratione imperfectæ naturæ
non est capax huius vnionis, vt dictum est, & ratio-
ne actualis inhærentiæ, habet maiorem quandam
repugnantiam cum huiusmodi vnione.

Q V Æ S T I O V.

De modo vnionis ex parte partium huma-
næ naturæ, in quatuor articulos
diuisa.



Inde considerandum est de assumptione par-
tium humanæ naturæ.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtrum filius Dei debuerit assumere
verum corpus.

Secundo, vtrum assumere debuerit corpus terrenum scilicet
carnem & sanguinem.

Tercio, vtrum assumpsit animam.

Quarto, vtrum assumere debuerit intellectum.

R Estotaquam in hac quæstione D. Thom. tractat,
fere explicata fuerat quæstione præcedenti, so-
lum enim ostendit partes phicas, & essentielles hu-
manæ naturæ assumptas fuisse à Verbo quod fere ex
superioribus constabat: quia non poterat humana
natura assumi, nisi conlās ex partibus essentialibus,
tamen D. Thom. ad refellendos aliquos errores, &
vniuscuiusque rei propriam rationem reddendam,
hanc quæstionem mouet: quæ adeo clara est, vt cir-
ca literam nihil ferè commentari oporteat.

ARTICVLVS I.

Virum Dei filius debuerit assumere verum corpus.



Primum sic proceditur. Videtur, quod
filius Dei non assumpsit verum corpus,
Dicitur enim Philip. 2 quod in similitudi-
nem hominum factus est: Sed quod est se-
cundum veritatem, non dicitur esse secun-

dum similitudinem. Ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

2. Præterea, Assumptio corporis in nullo derogauit digni-
tati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in sermone de Natuit.
quod nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec
superiorem minuit assumptio: Sed hoc ad dignitatem Dei per-
tinet, quod sit omnino à corpore separatus: Ergo videtur quod
per assumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

3. Præterea, Signa debent respondere signatis: Sed appa-
ritions veteris Testamenti, quæ fuerunt signa apparitionis
Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secun-
dum imaginariam visionem: sicut patet Isai. 6. Vidi Domi-
num sedentem, &c. Ergo videtur quod etiam apparitio Filij
Dei in mundo, non fuerit secundum corporis veritatem, sed
solum, secundum imaginationem.

Sed contra est quod dicit Augustinus* in lib. 83. quæst. Si
phantasma fuit corpus Christi, fessit Christus: Et si fessit,
veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit
phantasma corpus eius. Et sic patet, quod verum corpus as-
sumpsit.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur in lib. de Ecclési-
astica* dogmatibus, natus est Dei filius, non putatiue, quasi
imaginatum corpus habens, sed corpus verum.

Et huius ratio potest tripliciter assignari. Quarum prima est
ex ratione humanæ naturæ, ad quam pertinet verum corpus
habere. Supposito igitur ex præmissis* quod conueniens fuerit

Filium Dei assumere humanam naturam, & consequens est
quod verum corpus assumpsit. Secunda ratio sumi potest ex
his, quæ in mysterio incarnationis sunt acta. Si enim non fuit
verum corpus eius, sed phantasticum, ergo nec veram mortem
sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant
secundum veritatem gessit, sed solum secundum apparentiam
quandam. Et sic etiam sequeretur, quod non fuerit vera salus
hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari.
Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumptæ:
quæ cum sit veritas: non decuit, vt in eius opere aliqua fictio
esset. Vnde & Dominus hunc errorem per seipsam excludere
signatus est, Luca ultimo, cum Discipuli conturbati, & con-
territi putabant se spiritum videre, & non verum corpus: &
ideo se eis palandum præbuit, dicens, Palpate & videte:
quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis ha-
bere.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa exprimit
veritatem humane naturæ in Christo, per modum, quo omnes
qui verè in natura humana existunt, similes specie esse di-
cuntur: non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad
cuius evidentiam Apostolus subiungit, quod factus est obediens
vsque ad mortem, mortem autem crucis, quod fieri non po-
tuerat, si esset sola similitudo phantastica.

Ad secundum dicendum, quod per hoc, quod filius Dei ve-
rum corpus assumpsit, in nullo est eius dignitas diminuta. Vn-
de Augustinus* dicit in libro de fide, ad Pe. Exinanitus sei-
psum formam serui accipiens, vt fieret seruus: sed forma Dei
plenitudinem non amisit. Non enim Filius Dei sic assumpsit
verum corpus, vt forma corporis fieret, quod repugnat diuinæ
simplicitati & puritati. Hoc enim esset assumere corpus in v-
nitatem naturæ, quod est impossibile, vt ex supra dictis patet
& Sed salua distinctione natura assumpsit corpus in vnitatem
persona.

Ad tertium dicendum, quod figura debet respondere rei
quantum ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem.
Si enim secundum omnia esset similitudo, iam non esset
signus, sed ipsa res: vt Damascenus* dicit in tertio
libro. Conueniens ergo fuit, apparitions veteris Te-
stamenti esset secundum apparentiam, quasi figura: ap-
paritio autem Filij Dei in mundo esset secundum cor-
poris veritatem, quasi res figurata per illas figuratas.

Vnde

31.
infra ar. 2.
et q. 14.
ar. 1. c. 3.
et q. 1. ar.
391. c. 3.
et q. 1. ar.
et q. 1. ar.

Cap. 1. de
clin. ad fin.
tom. 3.

Quæst. 2.
ar. 1. c. 2.

Lib. 3. cap.
16. circa fi.

Vnde dicit Apostolus. 2. Colos. 2. Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.

Hic articulus clarus est, & nulla expositione indiget.

ARTICVLVS II.

Virum Dei Filius debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.

49.
Infr. q. 35.
art. 3. ea &
q. 37. art. 1.
c. q. 54.
art. 3. c. 3.
dist. 2. q. 51.
art. 3. q. 1. c. 4.
q. 2. c. 4.
contra c. 30.
c. 34. c. 5.
p. 3. c. 2.
14.



Secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non habuerit corpus carnale sine terreste, sed caeleste: dicit enim Apostolus prima ad Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de caelo caelestis: Sed primus homo, scilicet Adam fuit de terra, quantum ad corpus, ut patet Genes. 1. Ergo etiam secundus homo scilicet Christus fuit de caelo, quantum ad corpus.

2. Præterea, prima ad Corint. 15. dicitur, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: Sed regnum Dei principaliter est in Christo. Non ergo in ipso est caro & sanguis, sed magis corpus caeleste.

3. Præterea, Omne quod est optimum, est Deo attribuendum: Sed inter omnia corpora nobilissimum est corpus caeleste. Ergo tale corpus debuit Christus assumere.

Sed contra est, quod Dominus dicit Lucæ ultimo. Spiritus carnis & ossa non habet, sicut me videtis habere. Caro autem, & ossa non sunt ex materia caelestis corporis, sed ex inferioribus elementis. Ergo corpus Christi non fuit corpus caeleste, sed carneum & terrenum.

Respondendo dicendum, quod eisdem rationibus apparet: quare corpus Christi non debuit esse caeleste, quibus ostensum est, quod non debuit esse phantasticum.

Primo enim, quia sicut veritas humane nature non saluaretur in Christo, si corpus eius esset phantasticum (ut posuit Marichæus) ita etiam non saluaretur si poneretur caeleste: sicut posuit Valentinus. Cum enim forma hominis sit quedam res naturalis, requirit determinatam materiam, scilicet, carnes & ossa, quæ in hominis definitione poni oportet: ut patet per Philosophum 7. Metaph.

Lib. 7. text.
59. tom. 3.

Secundo, quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Christus in corpore gessit. Cum enim corpus caeleste sit impassibile & incorruptibile (ut probatur in primo de Cælo) si Filius Dei corpus caeleste assumpsisset, non verè esset, nec fuisset, nec etiam passionem, & mortem sustinisset. Tertio etiam hoc derogaret veritati diuina. Cum enim Filius Dei se hominibus ostenderit, quasi corpus carneum & terrenum habentem, fuisset falsa demonstratio, si corpus caeleste habuisset. Et ideo in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur, Natus est Dei Filius Carnem ex Virgine corpore trahens, & non de caelo secum afferens.

Cap. 2. dicitur
dicitur 3. in
ter ope. Au
gust.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur de caelo descendisse dupliciter. Vno modo ratione diuine nature, non ita, quod natura diuina in caelo esse desierit, sed quia in infimis nouo modo esse cepit, scilicet secundum naturam assumptam: secundum illud Ioannis. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de caelo filius hominis, qui est in caelo. Alio modo ratione corporis: non quia ipsum corpus Christi secundum suam substantiam de caelo descendit, sed quia virtus caelestis, id est, Spiritus sancto, est eius corpus formatum.

In Dialog.
os. 99. q. 4.
a med. illi
in tom. 4.
Lib. 10. de
Trinit. ante
med. ad sen
sum.

Vnde August. * dicit ad Orosium, exponens autoritatem inductam, Caestem dico Christum: quia non ex humano conceptus est semine. Et hoc etiam modo Hilarius exponit in libro de Trinit. *

Ad secundum dicendum, quod caro & sanguis non accipiuntur ibi pro substantia carnis & sanguinis, sed pro corruptione carnis & sanguinis. Quæ quidem in Christo non fuit quantum ad culpam: fuit tamen ad tempus quantum ad penam, ut opus nostre redemptionis expleat.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad maximam Dei gloriam pertinet, quod corpus infirmum & terrenum ad tantam sublimitatem promouit. Vnde in Ephesina synodo legitur Verbum sancti Theophili dicentis, Qualiter artificum optimi non in pretiosis tantum materiis artem ostendentes, in admiratione sunt, sed vilissimum lutum & terram dissolutam plerumque assumentes, sua disciplina demonstrantes virtutes, multo magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei Verbum, non aliquam pretiosam materiam corporis caelestis apprehendens, ad nos aduenit, sed in luto, magnitudinem suæ artis ostendit.

COMMENTARIVS.

Totaliter D. Thom. est perspicua. Solum sunt duo breuiter obseruanda. Primum est, D. Thom. rationibus directe concludere, corpus Christi Domini non fuisse confectum ex materia, seu substantia caelesti: sed ex illa materia, qua cetera corpora humana constare solent: consequenter verò quæuis id diserte non dicat, coniungit corpus Christi fuisse mixtum, & ex quatuor elementis coagmentatum: hoc enim intellexit in titulo, nomine terreni corporis. Pari etiam ratione concludit, habuisse corpus illud quatuor humores: quos in titulo, nomine sanguinis indicauit, in rationibus verò articuli, sub nomine corporis carni illos complexus est, quia non est vera ac viuæ caro sine sanguine: cui alij humores admixti sunt. Secundo est obseruandum, rationibus D. Thom. recte quidem effici, Christi humanitatem constitisse huiusmodi corpore, & in illo fuisse sanguinem, & alios humores: quomodo autem hæc omnia fuerint vnita Verbo, an scilicet immediate & proximè, seu secundum hypostasim, an verò tantum mediare, seu in hypostasi, ex his, quæ D. Thom. tradit solum hoc potest conuinci, hæc omnia ita fuisse vnita Verbo, ut necessarium est ad hoc, ut Verbum vere factum sit caro & homo, ex quo recte concluditur fuisse proximè & immediate vnita, ut disputatione sequenti latius explicandum est: & ibidem tractabimus locum primæ ad Corinth. 15. quem in solutione ad primum Diuus Thomas explicauit.

ARTICVLVS III.

Virum Filius Dei assumpsit animam.



Secundum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei animam non assumpsit. Ioannes enim incarnationis mysterium tradens, dixit, Verbum caro factum est, nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum, eo quod sit in carnem conuersum, sed quia carnem assumpsit. Non ergo videtur assumpsisse animam.

2. Præterea anima necessaria est corpori ad hoc, quod per eam viuificetur: Sed ad hoc non fuit necessaria corpori Christi, ut videtur: quia ipsum Verbum Dei est, de quo dicitur Psalm. 111.

35. Domine apud te est fons vite. Superfluum ergo fuisse animam adesse, Verbo presente. Dens autem & natura nihil frustra faciunt: ut etiam Philosophus dicit in primo de Cælo. Ergo videtur quod Filius Dei animam non assumpsit.

3. Præterea, Ex vnione anime ad corpus, constituitur natura communis, quæ est species humana. In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere, ut Damasc. 1. dicit in 3. libro. Non igitur assumpsit animam.

Sed contra est, quod Augustin. * dicit in libro de Agone Christiano. Non eos audiamus: qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei: & sic audiunt quod dictum

quod dictum est, Verbum caro factum est, ut negent, illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam.

Lih. de heres
49. & 51.
Tom. 6.

Respondeo dicendum, quod sicut dicit Augustinus* in li. de heresibus, opinio fuit primò quidem Arrij, & postea Apollinaris, quod Filius Dei solam carnem assumpsit absque anima, ponentes quod Verbum fuerit carni loco animæ. ex quo sequebatur, quod in Christo non fuerint due nature, sed una tantum: ex anima enim & carne, una natura humana confusur.

Sed hac positio stare non potest propter tria. Primum quidem: quia repugnat auctoritati Scripturæ, in qua Dominus de sua anima facit mentionem Matth. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem, & Ioannis 10. Potestatem habeo ponendi animam meam. Sed ad hoc respondebat Apollinarius, quod in his verbis anima metaphorice sumitur: per quem modum in veteri Testamento Dei anima commemoratur, Isai. 1. Kalendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. Sed

Lib. x. de a.
nima, rex. 9.
lib. 7. meta.
rex. 13. circa
med. tom. 2.
63.

Metaphys.*
Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Verbum
caro factum est, caro ponitur pro toto homine: ac si diceretur:
Verbum homo factum est: sicut & Ijai. 40. Videbit omnis
caro pariter, quod os Domini loquutum est. Ideo autem totus
homo per carnem significatur: quia, ut dicitur in autoritate
inducta,* per carnem Filii Dei visibilis apparuit. Unde subdi-
tur: Et vidimus gloriam eius. Vel ideo, quia ut Augustinus*
dicit in lib. 83. q. in tota illa unitate susceptionis principale
Verbum est, extrema autem atque vltima caro. Volens itaque
Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis
Dei, Verbum & caro nominavit, omittens animam, quæ est
Verbo inferior, carne præstantior. Rationabile etiam fuit, ut
nominaret carnem: quæ propter hoc, quod magis distat a Ver-
bo, minus assumptibilis videbatur.

Ad secundum dicendum, quod Verbum est fons vita, sicut
Fr. Suarez. Tom. 1.

A prima causa vita effectiva: Sed anima est principium vite corporis tanquam forma ipsius: forma autem est effectus agentis. Vnde ex presentia Verbi magis concludi posset, quod corpus esset animatum: sicut ex presentia ignis potest concludi, quod corpus cui ignis adheret, sit calidum.

Ad tertium dicendum, quod non est inconueniens, inò ne-
cessarium dicere, quod in Christo fuerit natura, quæ constituitur
per animam corpori aduenientem: Damascenus ^{Loco in aris-} autem
negat, in Domino Iesu Christo esse communem speciem, quasi
aliquid tertium resurgens ex vniõne diuinitatis & humani-
tatis. ^{tisate.}

Litera huius articuli est facilis, atque ideo illum explicare necessarium non est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.



Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non assumpsit mentem humanam siue intellectum. Vbi enim est presentia rei, non requiritur eius imago: Sed homo secundum mentem est ad imaginem Dei, vt Augustinus

* dicit in lib. de Trinit. Cum ergo in Christo fuerit presentia ipsius diuini Verbi, non oportuit ibi esse mentem humanam.

2. Præterea, Maior lux offuscat minorem: Sed Verbum c. 10m. 3.
Dei, quod est lux illuminans omnem hominem venientem
in hunc mundum (vt dicitur Ioannis 1.) comparatur ad men-
tem, sicut lux maior ad minorem: quia & ipsa mens lux quæ-
dam est, quasi lucerna illuminata a prima luce. Proeribiorum
20. Lucerna Domini spiraculum hominis. Ergo in Christo,
C quia est Verbum Dei, non fuit necessarium esse mentem huma-
nam.

3. Præterea, *Assumptio humana nature à Dei Verbo, dicitur incarnatio eius Sed intellectus sue mens humana neque est caro, neque est actus carnis, quia nullius corporis actus est, ut probatur in 3. de Anima.* Ergo videtur quod Filium Dei humanam mentem non assumpsit.

Sed contra est, quod Augus.⁸ dicit in libro de fide ad Petr. Firmissime tene, & nullatenus dubites, Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem & animam rationalem, qui de carne sua dicit, Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Luca ultimo: Animam quoque se habere ostendit dicens: Ego pono animam meam, & iterum sumo eam. Ioann. 16. Intellectum quoque animae ostendit se habere dicens: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Math. 11. Et de ipso per Prophetam Deus dicit: Ecce intelliget puer meus. Isa. 52.

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus* dicit in libro
 de heresibus, Apollinariste de anima Christi à Catholica Ec-
 clesia differunt, dicentes fuisse Ariam, Deum Christum
 carnem solum sine anima suscepisse: In qua questione testimo-
 nium Evangelicis victi, mentem desuisse animam Christi, sed pro
 hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. Sed hac positis eis-
 dem rationibus conuincitur, sicut & predicta. Primo enim,
 hoc aduersatur narrationi Evangelicæ, que commemorat eum
 fuisse miratum, vt patet Matth. 8. Admiratio autem absque
 ratione esse non potest: quia oportet collationem effectus ad
 causam: dum scilicet aliquis videt effectum, cuius causam i-
 gnorat, & querit: vt dicitur in principio Metaphysicæ. Se-
 cundo repugnat vilitati incarnationis, quæ est insufficienti-
 boninis à peccato. Anima enim humana non est capax pec-
 cati, nec gratia insufficientis, nisi per mentem. Vnde præcipue
 oportuit mentem humanam assumi. Vnde dicit Damascen. †
 in 3. lib. quod Dei Verbum assumpsit corpus & animam in-
 tellectualem & rationalem. Et postea subdit: † Totus totus vni-
 tus est, vt totumque salutare largiretur: quod enim inassum-
 ptum est, incurabile est. Tertio hoc repugnat veritati incarna-
 tionis.

De propria

Lib. 83. q. 9.
60. non pro-
cul à primo.
607. 4.

Propria forma, non est verè caro humana, qua non est perfecta anima humana, scilicet rationali. Et ideo si Christus animam sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem: quia per solam mentem anima nostra differt ab anima bestiali. Vnde dicit Augustinus lib. 83. q. 9. quod secundum hunc errorem sequeretur, quod Filius Dei belluam quandam cum figura humani corporis suscepisset: Quod iterum repugnat veritati diuina, qua nullam patitur fictionis falsitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod ubi est ipsa res per sui presentiam, non requiritur eius imago ad hoc, quod suppleat locum rei: sicut ubi est imperator, milites non venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cum presentia rei imago ipsius, ut perficiatur ex ipsa rei presentia, sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, & imago hominis resultat in speculo per eius presentiam. Vnde ad perficiendam mentem humanam, necessarium fuit, quod eam sibi Verbum Dei vniuerit.

Infra q. 9. ar. 1. ad 2. 53.
ad 13. q. 1. ar. 1.
ad 3. 54. 14.
603. q. 1. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod lux maior euacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis, non tamen euacuat, sed perficit lucem corporis illuminati: ad presentiam enim Solis stellarum lux obscuratur, sed aeris lumen perficitur. Intellectus autem seu mens hominis est quasi lux illuminata à luce diuini Verbi, & ideo per presentiam Verbi non euacuatur mens hominis, sed magis perficitur.

Ad tertium dicendum, quod licet potentia intellectiua non sit alicuius corporis actus: ipsa tamen essentia anime humane, qua est forma corporis, requiritur, quod sit nobilior ad hoc, quod habeat potentiam intelligendi: & ideo necesse est, ut corpus melius dispositum ei respondeat.

COMMENTARIUS.

Huius articuli titulus intelligi potest, vel de potentia ipsa intellectiua, quæ est accidens anime superadditum, vel de ipsa substantiali anima, prout attingit gradum rationalem, seu intellectualem, & interdum nomine intellectus significatur, vt idem D. Thomas docuit prima parte, quæst. 79. articuli. 1. qui non satis explicat, quo sensu hanc questionem moueat: nec de errore Apollinaris satis constat, quo sensu mentem seu intellectum Christo negauerit. Ea vero, quæ D. Thomas adducit in corpore articuli, ad verumque sensum facile applicari possunt: nam duæ primæ rationes, quibus probat in Christo fuisse intellectum, scilicet, quia admirabatur, & quia fuit capax meriti, de potentia intellectiua immediate procedunt. Tertia verò ratio, scilicet, quia aliàs caro Christi non esset vere humana, sed bestialis, solum probat de substantia, & essentia anime rationalis. Quocirca videtur Diuus Thomas hoc potissimum intendisse in hoc articulo, præsertim cum hoc loco non tam de accidentibus, quàm de substantia nature assumptæ sermo sit: quanquam quoniam substantia rei ex accidentibus, & operationibus recte cognoscitur, merito in prima & secunda ratione, ex operationibus colligit facultatem, vt ex facultate etiam ipsa substantia anime rationalis Christo nõ defuisse intelligatur, quod argumentum præsertim ex operationibus vitæ efficacissimum sumitur: quia hæc operatio inseparabilis est à suo principio intrinseco, tam proximo quod est potentia, quàm principali, quod est ipsa anime substantia.

Cætera clara sunt.

}}{

Quid Verbum assumpsit per incarnationem, prout facta est.



Præcedenti disputatione diximus, quid sit assumptibile per quamecunq; vnionem hypostaticam possibilem: hic dicendum sequitur, quid assumptibile Verbum diuinum per vnionem hypostaticam, quæ facta est. Possumus autem ex his quæ ibi dicta sunt, hic sine noua disputatione sumere, quid Verbum non assumpsit. Primum est, Verbum non assumpsisse aliquam aliam naturam præter humanam, & partes eius, quod certum de fide est, quia Deus factus est homo, & non aliud. Vnde in Scriptura sacra hoc prædicatur, tanquam singulare beneficium humane nature collatum: & de solo Christo dicitur, esse Principem & caput omnium, constitutum super opera manuum Dei, quia soli humanitati eius concessa est tam ineffabilis gratia: vnde nullus alius subsistens in creata natura potest secundum fidem dici verus, & naturalis Deus, nisi solus Christus. Denique de Angelicis naturis expresse dicitur ad Hebræos 2. Non Angelos apprehendit, quod tanquam manifestius, & clarius supponitur de inferioribus naturis. Huius vero rei supra tradidimus congruentias disp. 3. Secundo certum est, Verbum non assumpsisse personam creatam, nec naturam habentem personalitatem creatam. Hoc etiam est de fide, vt sufficienter explicatum est circa litteram D. Tho. & disputatione 7. late contra Nestorium probatum est: dictum etiam est disputatione præcedenti, huiusmodi assumptionem vel vnionem esse impossibilem, satis ergo constat non esse factam. Superest ergo dicamus, quid Verbum assumpsit: & prius dicemus de tota natura, deinde de partibus eius, tam essentialibus, quam integrantibus.

SECTIO I.

Verum Verbum assumpsit veram hominis naturam.

Omissis erroribus, tam supra disput. 7. tractatis, quàm itatim sectionibus sequentibus tractandis, dico primo, Verbum diuinum assumpsisse veram, & essentialiter perfectam humanam naturam. Est de fide, quæ sufficienter probatur ex illo principio, supra disp. 1. latè probato, Christum esse verum Deum, & verum hominem: ex quo disp. 7. concludimus, in Christo esse duas naturas, veram scilicet diuinitatem, & veram humanitatem, ex quibus, & in quibus subsistit, & hinc tandem concluditur, veram assumpsisse humanitatem, quia per hanc assumptionem factum est, vt in illa subsistat.

Dico secundo: Hæc humanitas à Verbo assumptæ est vnica, indiuidua, & singularis. Ita docent omnes Theologi cum Damasceno lib. 3. cap. 11. & est de fide certum, quatenus de fide certum est, Christum esse quandam singularem hominem ab aliis numero distinctum, non tantum ratione personæ, sed etiam ratione nature humane. Ratio verò est facilis, quia humanitas abstracta ab indiuiduis, vt sic, non est res apta ad existendum, debuit ergo necessario assumi indiuidua natura: quod autem in vna tantum, & non in omnibus, neque in multis facta fuerit hæc vnio, constat de fide ex his, quæ in principio huius disputationis diximus.

Sed contra primo, quia fructus huius vnionis futurus erat communis omnibus hominibus, ergo debuit natura communis omnibus sumi. Propter hoc fertur, quendam Doctorem Parisiensem asseruisse, assumptam esse humanitatem in communi. Sed est hæc.

disp. est hæretica, & intelligibilis sententia, & fundamentum eius friuolum: ex quo potius concludi potest contrarium, nam fructus huius vnionis, qui est gratia, & gloria, & remissio peccatorum, fuit vniuersalis causalitate, & operatione, & ideo fuit necessaria singularis, & indiuidua natura, quæ talium operationum principium esse posset.

Quæst. 1. Sed contra secundo, quia suppositum supra naturam specificam, & communem non addit nisi principia indiuiduata, sed indiuidua natura includit hæc principia, si ergo Christus assumpsit indiuiduam naturam, assumpsit suppositum. Qui maiorem propositionem admittunt, dicunt humanitatem Christi per assumptionem factam esse hanc, seu indiuiduam. Sed hoc est impossibile, tum quia quod assumitur, supponitur assumptioni, assumitur autem hæc natura: tum etiam, quia si dimitteretur a Verbo, eadem numero maneret: tum denique quia nulla res potest formaliter constitui hæc, sed indiuidua, per aliam rem a se distinctam, vt ex Metaphysica suppono, quia non potest esse res vera, & actualis, nisi sit singularis & indiuidua. Respondetur ergo negando maiorem, nam principia indiuiduata potius pertinent ad constitutionem huius nature, suppositum vero addit specialem modum per se existendi. Hic vero sese offerebat quæstio, an propter assumptionem humanitatis possit etiam verbum dici hominem assumpsisse: sed hæc sufficienter circa litteram D. Tho. explicata est.

Matth. 1. Dico tertio. Verbum assumpsit hanc humanitatem, non omnino denuo creatam, sed ex ipsis hominibus a stirpe Adæ descendentibus. Est de fide, vt constat Matth. 1. & Luc. 3. de illa tractat D. Tho. infra q. 13. & 32. nonnullæ vero congruentiæ illius supra disp. 3. & 4. adductæ sunt, & alias adduxit D. Tho. q. 4. a. 6. summa omnium est, quia expediri fuit, vt per eandem naturam dæmonem vinceret, quam ipse in Adam vicerat.

Quæst. 2. Dices. Hæc ratio probaretur, debuisset ipsam Adæ singularem naturam sumere. Respondetur, id non fuisse cōueniens, tum quia illa natura iam fuerat peccato maculata, tum etiam quia iam erat terminata in propria persona: ac denique quia ex Adamo generandi erant homines secundum carnem, quod non decebat Christum, maxime, cum ab eodem Adamo originalem maculam tracturi essent. *D. Thom.* Lege D. Tho. in 3. d. 2. q. 1. a. 2. q. 3.

SECTIO II.

Verum Verbum assumpsit veram animam rationalem.

Arian. *Epiph.* *Aug.* *Nazian.* *Cyrl. Alex.* *Vi. Synod.* *Apollin.* *Epiph.* *Athanas.* *Aug.* *Vicent. Lyran.* *Nazian.* *Cyrl.* *Ruffin.* *Tyrann.* Prima hæresis fuit Arianorum negantium in Christo fuisse veram animam, dicebant enim Verbum illi fuisse loco animæ. Ita refert Epiph. hæres. 69. & Aug. in 49. Nazianz. orat. 51. post medium, Cyrl. Alexan. epist. 9. & 29. & in VII. Synod. act. 6. to. 5. non longe a fine, idem error tribuitur Eusebio Cæsariensi, & aliis Arianis.

Secundus error fuit Apollinaris, qui in principio dicitur sensisse cum Arianis, postea vero quibusdam scripturæ testimoniis coactus, dixit in Christo esse animam sentientem, non tamen mentem. Ita refert Epiph. hæres. 77. vbi Epistolam Athanasij ad Episcopum contra hanc hæresim citat. Aug. hæres. 55. Vincent. Lyrinen. in suo libel. contra hæres. c. 17. Nazian. orat. 46. quæ est epistol. ad Neectar. Cyrl. hom. 5. Ephes. dicta, Ruffinus lib. 11. hystoriar. c. 20. & Socrates in Tripartita lib. 5. c. 44. Quid autem nomine mentis Apollinaris intellexerit, an scilicet potentiam intellectiuam, vel ipsam substantiam rationalis animæ, non satis aperte explicant dicti autores: quamquam August. & fere Epiphanius, & Ruffinus non obscure indicent, eum non de sola accidentali facultate, sed de substantia ipsius animæ fuisse locutum: sic enim

Fr. Suarez. Tom. 1.

Aug. ait. *Negauit mentem, quæ est rationalis anima hominis.* Epiphanius vero refert, se interrogasse hæreticos, quid nomine mentis intelligerent, ipsosque respondisse, esse substantiam, seu spiritum.

Ex quo fit consequens, eos negasse partem quandam humanæ naturæ. Quo sensu hæretici dicti Dimeritæ, quorum autor fuit quidam Timotheus, postea dixerunt, ex tribus partibus humanæ nature, corpore, anima, & mente, Verbum duas priores tantum assumpsisse, vt constat ex Epiphanius supra, & hæres. 78. & ex epistolis Damasci, quas refert Nicephorus lib. 12. hyst. ca. 17. & 18. & ex parte habentur to. 2. Concil. & apud Theodoret. lib. 5. hystor. capite 10. & 11. quibus locis Damascus contra hunc hæreticum definit, assumpsisse Christum veram animam

B rationalem, non obscure indicans hoc negasse prædictum hæreticum, & in hoc fuisse secutum Apollinarem. Verum est tamen, Epiphanius supra primum contendere, mentem non esse spiritum ex illo loco 1. Cor. 14. *Psallam spiritu, psallam & mente:* Deinde velle, non esse substantiam, quia alias, inquit, multiplex esset homo: ac tandem asserere, mentem non esse substantiam, sed humanæ substantiæ functionem, seu actionem (ait ipse) ex Deo nobis datam. Sed prior locus parum cogit, nam ibi nomine spiritus non significatur anima hominis, sed vel donum spiritus, linguarum videlicet donum, de quo ibi sermo est, vel certe aer aut vox quæ in aere formatur; unde est illud quod ibi præmittitur. *Siorem lingua, spiritus meus orat,* id est, vox vel lingua mea, mens autem mea sine fructu est: & deinde subiungit, *Orabo spiritu, orabo & mente,* hoc est, non tantum verba proferendo, sed etiam animo & mente concipiendo. Unde etiam potest ibi nomine spiritus affectus orandi significari, hic autem, cum mens dicitur esse spiritus hominis, spiritus pro animæ substantia sumitur. Unde, quod in secundo dicto Epiphanius inferebat, solum probat, mentem non esse substantiam ab homine separatam, eique assistentem, quia sic homo non esset vnus, sed multiplex, hoc verò non sequitur, dicendo, mentem esse substantiam rationalis animæ cum corpore vnum hominem componentem. Quod denique tertio loco ait, mentem esse actionem, fortasse interdum hæc vox ita vsurpatur. Apollinaris tamen non in hac tantum significatione de mente est locutus: nec nomine mentis sola actio eius, sed

C etiam principium ipsius, vel proximum, vel principale & radicale, significari potest & solet, vt declaratum est, & amplius constabit ex his, quæ infra, qu. 6. art. 2. in eius commentario ostendemus. In hoc ergo sensu hæc hæresis hoc loco refutanda est, de potentia namque intellectiua inferius suo loco, quæst. 9. tractabimus.

Dico ergo Christus Dominus assumpsit veram animam rationalem, eiusdem speciei cum animabus aliorum hominum. Est de fide, quæ sufficienter probari posset ex principio posito sect. præced. quia sine vera anima rationali, vera humanitas esse non potest, nec verus homo, cum per illam formaliter & essentialiter constituitur. Probari etiam potest sufficienter ex principio posito supra disp. 7. sect. 2. vbi

E ostendimus vnionem hanc non esse factam in natura. Sed præterea probatur ex propriis. Primo, ex Scriptura, Io. enim 12. dicit Christus, *nunc anima mea turbata est,* & Matth. 26. *Tristis est anima mea,* vbi non potest nomine animæ Verbum intelligi, tum propter verborum proprietatem, tum quia illi affectus non possunt ipsum Verbum afficere, sicut solent afficere animam: alias oporteret Verbum ipsum esse passibile, quod Ariani facile concederent, quia negabant esse verum Deum: contra quos sufficienter supra disputatum est, & q. 2. ostendimus, Christum non esse passum, nec mutatum in sua diuinitate. Deinde non possunt illa testimonia exponi de anima sentiente tantum. Primo, quia non est sermo de quacunque passione

Et a tristi.

Quid mentis nomine intelligat significari Epiphanius.

Eius sententia proponitur.

Conclusio de fide tenenda.

Ioan. 12. Matth. 26.

Ioan 10.

VI. Synod.

Psal 15.

Ab 2.

Matth. 26.

Luc. 23.

Damas. Pa.

Theodor.

Tripart.

Niceph.

Conc. Ephes.

Conc. Chal.

V. Synod.

VI. Synod.

Cōc. Chart.

Conc. Tolos.

Leo Pap.

Cyril.

August.

Nazianz.

Damas.

Ambros.

Athanas.

tristitia, sed detrititia rationali, & volūtaria, ut patet ex Verbo illo: *Non mea voluntas, sed tua fiat*: & ex eo quod ex voluntaria consideratione, & meditatione excitauit in se illam tristitiam, ut argumentatur VI. Synod. act. 18. in edicto Constantini, in quo antiqui Græci Patres contra hunc errorem referuntur. Denique Ioan. 10. ait, Christus, *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*; nemo tollit eam à me, sed potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, ex quibus verbis satis constat, illam Christi animam habuisse libertatem arbitrij, & fuisse immortalem: vnde de illa dictum est Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, ut ab Apostolo Petro explicatur Act. 2. & ideo Matth. 26. & Luc. 23. eadem anima spiritus dicitur. Ex quibus locis etiam constat, in Christi morte hanc animam fuisse à corpore separatam, cum tamen Verbum nunquam fuerit à corpore disiunctum.

Secundo principaliter definita est hæc veritas à Damaso Pap. cum Concil. Romano, in professione fidei, quæ habetur inter decreta eius, & refert etiam Theodoret. lib. 5. hist. c. 9. 10. & 11. & lib. 9. Tripart. c. 15. & Niceph. lib. 12. histor. cap. 18. idem habetur in Concil. Ephes. in Epist. Cyril. ad Nest. quæ ibidem can. 3. approbatur: idem Concil. Calcedo. act. 1. V. Synod. sess. 8. can. 4. & 11. VI. Synod. act. 11. in Epist. Sophronij, & sess. 18. in citato edicto Constantini, & Conc. Carthag. III. c. 1. & Concil. Tolos. II. IV. & XI. in confessionibus fidei. Tradit etiam Leo Pap. epist. 11. 82. 95. Cyril. sup. & lib. de fide ad Theodof. Aug. lib. de agone Christiano cap. 10. & 21. & optimelibro contra Felicianum Arianum. cap. 13. vbi dicit, prætermisiss scripturis, se velle ratione contendere: & prima ac potissima, qua vtitur sumitur ex fine incarnationis, tum quia sine rationali anima non potuisset Christus orare, mereri, nec satisfacere: tum etiã, quia cum incarnatus fuerit ad redimendum hominem lapsum, assumere debuit id quod potissimum in homine ceciderat, quodque maxime redemptione indigebat, hoc autem est rationalis anima. Quæ ratio frequens est apud Patres, ut patet ex citato edicto Constantini, & ex Nazianz. orat. 51. & 52. Damasc. lib. 3. cap. 6. & Ambros. lib. de incarnationis Domini sacram. c. 7.

Vltimo afferri possunt rationes Philosophicæ. Prima, quia non potest Deus fieri forma corporis, ut supra etiam disp. 7. declaratum est. Secunda, quia eo posse aliquo modo informare, tamen natura cōposita ex tali forma, non esset humanitas, & ita nec Christus esset verus homo, quia non potest Deus supplere effectum causæ formalis. Tertia specialis contra Apollin. quia in homine non est anima sensitiua distincta à rationali: vnde si Christus assumpsisset animam sensitiuam sine rationali, necessario assumpsisset naturam alicuius bruti, aut embrionis. Neque contra hanc veritatem aliquid ex Scriptura, vel Patribus obici potest. Vnde fundamentum hæreticorum solum erat, ut Athanas. refert lib. de incarnatione. Verbi prope finem, & Ambros. supra, quia si Christus habuisset animam rationalem, peccati capax excitisset, sed dicendum, illam animam, quæ sibi relicta fuisset capax peccati, per vnionem impecabilem euasisse, ut q. 15. explicabitur.

Est autem hoc loco aduertendum, conclusionem esse intelligendam de vnione immediata: hic enim est clarus sensus Conciliorum & Patrum, & est euident per sese, nam aliquid debuit necessario immediate assumi, ergo maxime anima. Dices. Tota humanitas. Sed contra, quia non potest tota humanitas immediate assumi, nisi essentielles partes, quibus cōstat, immediate assumatur: quia entitas totius humanitatis non est alia ab entitate partium simul sumptarum & vnitarum. Cōfirmatur, quia in triduo mansit anima vnita immediate, & tamē non est facta noua vnio, sed ex vi præcedētis; de qua re plura infra q. 6.

Verum Christus assumpsit verum humanum corpus.

Primus error negauit Christum verum corpus assumpsisse, sed solum phantasticum & apparens. Ita errauit Marcion, cōtra quem multa scripsit Tertullian. libris contra illum, & li. de carne Christi: referunt etiam Iulianus Martyr. Apolog. 2. pro Christianis, non longe à fine, Epiphani. hæref. 42. & Augustin. hæref. 22. Irenæ. lib. 1. cap. 29. qui ait propterea hunc hæreticum prima capita Lucæ, quæ sunt de humana Christi generatione expunxisse. Eundem errorem secutus & Lucanus quidam, & Cerdon, ut refert Tertullian. libr. de Præscript. hæret. circa finem, & Epiphani. hæref. 41. Augustin. in 21. item Manichei, ut constat ex Epiphani. hæref. 66. & Augustin. in 46. item Proclianitæ apud Augustin. hæref. 60. seu Proclianitæ, ut est apud Phylastrium lib. de hæresibus: ac denique Priscilianistæ, ut refert Leo Pap. epist. 93. capit. 4. & 17.

Secundus error fuit, habuisse Christum verum corpus, sed non eiusdem rationis cum nostro, in quo fuit varietas, quidam enim dixerunt fuisse formatum ex elementis, ut Apelles apud Augustin. hæref. 23. Alij habuisse corpus cœleste, ut Valentinus, teste Augustin. hæref. 11. & Tertullian. li. de Præscript. hæretic. & Gnostici apud Irenæ. lib. 1. cap. 5. Alij denique dixerunt habuisse corpus diuinum, consubstantialitè diuinitati, vel certe ex ipsa formatum, ut Apollinar. referente Iuliano Martire, Apolog. 2. ad fi. de quo satis multa dicta sunt supra disp. 7. sect. 2.

Dico primo, Verbum diuinum assumpsit verum corpus. Est de fide, quæ sufficienter probatur ex veritate Incarnationis, supra late probata, & simul cū sequenti euidenter ostenditur: infra etiam quæst. 14. ex professo probandum est, Christum assumpsisse verum corpus possibile, & non tantum apparenter. Nunc sufficit illa ratio, quia si Christus non habuisset verum corpus, nulla est veritas in mysterijs vitæ eius: quia nec vere mortuus est, nec vere resurrexit, vana erit ergo fides nostra, ut alias Paul. argumetur 1. ad Corinth. 16. & in hunc finem persequitur Aug. lib. 83. q. 14.

Dico secundo assumpsisse Verbum corpus humanum eiusdem materiæ, & rationis cum nostro. Est de fide, & probari potest illis principiis generalibus, quod Christus est verus homo, conceptus ex muliere, de quo dicitur suo loco. Nunc probatur ex proprijs, primo ex Scriptura, Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, scilicet per assumptionem & vnionem, iuxta illud ad Heb. 1. *Semen Abrahæ apprehendit, & c. 2. Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & Filius Dei participauit eisdem*, ad Roman. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. 1. Petri. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Secundo definiunt hoc omnia Concilia citata sectio, præcedenti, & specialiter traduntur circa hoc multa in Concil. Hispanen. II. cap. 13. & in Bracharen. I. cap. 4. & in decretis Euychiani, Liberij, & Damasci Pontificum, & à Leone Pap. in citatis epistolis, & alijs Patribus citatis, præsertim Tertullian. lib. de carne Christi, & Ambros. lib. de incarnationis Domini sacramento capit. 7. & Augustin. epist. 146. vbi ponderat verba, quæ Christus post resurrectionem dixit Lucæ 24. *Videte, quia Spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Sunt etiam aperta illa Luc. 24.

Scripturæ testimonia. *Verbum caro factum est*, Ioan. 1. *Factus est ex semine David secundum carnem*. Roman. 1. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & Filius Dei participauit eisdem*. Hebræorum secundo, & similia, quæ frequentia sunt. Vltimo sunt rationes. Prima, quia etiam corpus humanum de essentia hominis est. Secunda, quia tale corpus fuit necessarium ad finem redemptionis, quia in nostro corpore

pati debuit, & exempla virtutum nobis ostendere, A
& quia corpus nostrum debet configurari corpori
claritatis eius. Vnde sumitur tertia ratio, quia Ver-
bum non tantum erat redempturum animas, sed
etiam corpora. Quarta denique, quia alias non fuis-
set Christus vere conceptus ex Virgine, nec verus fi-
lius hominis, cōtra Euangelicam historiam. De qua
re plura in sequenti tomo. Est autem hæc conclusio
eodem sensu intelligenda, quo conclusio preceden-
tis sectionis, scilicet, de vnione immediata, propter
eadem testimonia & easdem rationes. Quibus addi
potest, quod in propria persona habet corpus im-
mediatē vnionem cum substantia: Verbum autem
supplet perfectissime propriam substantiam:
ergo vnitur immediate corpori. Et hoc à fortiori
confirmabunt, quæ sect. 5. & 6. dicuntur; & in q. et-
iam 6. idem roborabitur.

Fundamentum Manichæorum fuit, quia puta-
bāt corpora esse mala ex natura sua, & à malo prin-
cipio. Sed hoc processit ex stulto errore, qui in 1. par.
ex professo refutatur, & videri potest Athanas. lib. 3.
de incarnat. Christi, aliquantulum à principio. Ire-
næus, lib. 1. c. 29. lib. 3. ca. 18. & 32. & D. Tho. 4. contra
gent. c. 20.

Fundamentum aliorum hæreticorum sumitur
ex aliquibus Pauli testimonijs. Primum est illud 2.
ad Corinth. 5. *Et si cognouimus Christum secundum car-
nem, sed iam non nouimus*, quæ Faustus Manichæus ita
expouit, vt diceret, Paulū in principio existimasse
Christum habuisse veram carnem, postea vero mu-
tasse sententiam. Et adiungebant illud ad Philip. 2.
In similitudinem hominum factus, id est, non in veritate.
Respondetur, impiam esse illam Faustii expositionem,
si enim ita licet sentire de Paulo nihil est firmū
in verbis eius. Sensus ergo duplex esse potest. Pri-
mus, vt Paul. de se loquatur pro eo tempore, quo
Christum persequabatur, & dicit: et si aliquando,
Secundum carnem, id est, carnaliter iudicantes, indi-
gnam æstimationem habuimus de Christo, sed iam
non ita nouimus, seu existimamus. Vel secundo, vt
loquatur de conditione carnis passibilis, in qua co-
gnouimus Christum dum hic viueret, sed nunc iam
non nouimus: quæ expositio traditur in VII. Synod.
act. 6. tomo 4. ad finem. Et confirmatur autoritate
Chrysostom. & Cyril. & est etiam Augustin. lib. 11.
contra Faust. à principio, & est consentanea verbis,
quæ Paulus postea subiungit, *Vt qui viuunt, iam non
sibi viuunt, sed ei, qui pro illis mortuus est, & resurrexit*, de
illo vero testimonio ad Philip. 2. iam supra quæst. 2.
diximus, illam particulam, in similitudinem, non ex-
cludere veritatem: sicut patet Genes. 5. cum dicitur,
Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam:
& ad hunc modum dixit Clemens Alexand. lib. 1. de
Pedagog. cap. 2. venisse Filium Dei in figura homi-
nis, vel si gratis demus illam similitudinem exclu-
dere veritatem, referenda est non ad homines vt
homines, sed ad homines vt peccatores, vt Chryso-
stom. ibi & alij notarunt: quomodo de Christo di-
citur ad Romanos 8. habuisse carnem, in similitudi-
nem carnis peccati, quamuis non habuerit carnem
peccati.

Secundo obiicitur illud 1. ad Corinth. 15. *Primus
homo de terra terrenus, secundus homo de celo celestis*, vo-
lunt enim Christum dici celestem hominem, pro-
pter celeste corpus. Sed non intelligit Paul. qui sta-
tim, etiam eos vocat homines celestes, qui Chri-
stum imitantur. Primo ergo exponunt Patres, Chri-
stum dici celestem hominem, quia celestem vitam
vixit, seu quia impeccabilis fuit: Adam vero dicitur
terrenus, vt pote subdit⁹ peccato, cui quadrat, quod
statim Paul. subiungit, *Qualis terrenus, tales & terre-
ni*, qualis celestis, tales & celestes. Ita Tertull. lib. de
Carne Christi cap. 8. & Beda in eum locum referens
Augustinum.

Secundo dicitur Christus homo celestis propter
Fr. Suarez, Tom. 1.

gloriam, quam à principio habuit, quamuis enim in
corpore illam non habuerit, vsque ad resurrectio-
nem, illi tamen erat debita, & connaturalis, primus
vero homo dicitur terrenus, propter mortalitatem
ex peccato contractam. Ita fere Chrysostom. homil. 42. in 1. ad Corinth. & Augustin. 13. de Ciuit. cap. 23.
Tertull. lib. de Resurrectione carnis cap. 49. & se-
quentibus. Tertio dicitur Christus homo celestis, ra-
tione diuini & celestis suppositi, quæ ratione etiam
solet dici homo, qui de celo descendit, Ioan. 3. & 6. ita
fere Nazianz. dicta orat. 51. circa medium, & indi-
cat August. epistol. 57. ad Dardanum quæst. 2. Quar-
to dicitur celestis propter ineffabilem modum
conceptionis, supra totum naturæ ordinem, celesti
quodam virtute effecta, ita Ambros. 1. ad Corinth.
15. & Hilar. libro 10. de Trinitate non longe à prin-
cipio, August. Dialogo 65. quæstionum ad Orosium
quæst. 4.

Dices, Hac ratione etiam Adam dicendus esse
homo celestis, quia ab ipso Deo immediate creatus
fuit. Respondetur primum, Adam fuisse productum
eo naturali modo quo species humana in primo suo
indiudivo produci poterat, Christum vero modo
omnino supernaturali fuisse genitum. Secundo, in
Christi conceptione non solum, neque præcipue cō-
siderari corporis formationem, sed multo magis as-
sumptionem, & inde vocari celestem, vnde Augu-
stin. supra, *Celestem dico, quia non ex humano conceptus
est semine, sed ex Maria Virgine pro nostra salute assumptus
à Filio Dei*.

SECTIO IV.

*Virum assumpserit Christus corpus & animam inter
se vnita.*

Hanc breuem dubitationem supra quæst. 2. arti.
5. huc remisimus, quoniam præcedentes suppo-
nit, & de illa fuit olim inter scholasticos dubitatum,
quibusdam negantibus assumpsisse Christum has
duas partes inter se vnitas, quia necessario consequi
videbatur, ex vnione earum resultare personam hu-
manam creatam: quam sententiam tanquam Scho-
lasticam opinionem refert Magist. in 3. dist. 6. & Hu-
go de Sanct. Vi. lib. 1. de Sacramentis par. 2. & Scot.
in illa dist. 6. quæ 3. dicit non fuisse hæreticam, donec
ab Alexand. III. dānata est in cap. Cum Christus, ex-
tra, de hæreticis. Et eodem modo de illa sententia
loquuntur alij Scholastici antiqui.

Dicendum vero est, Christum Dominum assump-
pisse corpus & animam inter se vnita ad compo-
nendam vnā humanitatem. Est de fide, & contra-
ria sententia semper fuit hæretica, tanquam directe
repugnans substantiæ mysterij incarnationis. Vnde
in Concilio Ephesi. can. 13. & concil. Calcedon. act.
1. & 5. & in V. Synod. act. 11. in epistol. Sophron. &
act. 13. cap. 4. definitur, Christum assumpsisse carnem
animatam animā rationali, quod perinde est ac di-
cere assumpsisse carnem vnitam animæ: & eodem
modo loquuntur Concilia supra citata, & alia, quæ
docent, Christum assumpsisse carnem mediante a-
nima, quæ disputatione. 27. tractabimus. Item quæ
docent, Christum constare ex corpore & anima vt
Lateranense, quod habetur in cap. Firmiter de ium.
Trin. & Athanas. in symbolo. Et ita sentit aperte de
certitudine huius veritatis Damascen. lib. 3. de Fide
cap. 2. August. epistol. 3. D. Thom. 4. contra gent. cap.
37. & loco supra citato. Ratio autem est, quia vnio a-
nimæ & corporis est de essentia humanitatis, & ho-
minis. Verbum autem, & veram humanitatem as-
sumpsit, & vere factus est homo. Deinde nisi corpus
& anima fuissent vnita, non potuissent per mortem
separari, vnde nec Christus vere mortuus fuisset: &
simili ratione, nec vere resurrexisset nisi post mor-
tem iterum coniuncta fuissent, nec à principio esset

Ee 3

geni-

genitus ex matre, quia generatio formaliter terminatur ad vnionem animæ cum corpore. Ad fundamentum autem contrarij erroris iam ex supra dictis patet responsio: per vnionem enim animæ & corporis, immediate resultat hæc natura, & per hypostaticam vnionem impediri potest, ne resultat hæc persona.

Occurrebat hoc loco difficultas, an corpus & anima aliter fuerint vnita Verbo ratione totius humanitatis, seu quatenus vnita erant ad illam componendam, aliter vero secundum se, seu secundum entitates suas. Sed hæc dubitatio supponit nonnulla tractanda disp. 17. & ideo vsque in illum locum differenda est.

Ex dictis vero expeditur facile aliud dubium, quod ad modum loquendi pertinet, an Christus dicendus sit compositus ex tribus naturis, diuinitate, anima, & carne, an vero ex duabus tantum, diuinitate scilicet, & humanitate, nam Damascen. libro 3. cap. 16. ita posteriorem hunc modum loquendi eligit, vt priorem non probet, quem imitatur Paulinus Aquileiensis in libell. Sacrosyllabo, qui refertur in Concil. Francofordien. & habetur etiam in 5. tom. Biblioth. sanct. quoniam videtur illo modo loquendi significari, ita fuisse distincta inter se animam & corpus, sicut à diuinitate, seu non magis fuisse vnita inter se ad componendum vnā naturam, quam cum diuinitate. Item, quia anima & corpus nō sunt propriæ duæ naturæ, cum sint partes vnius naturæ. Nihilominus prior loquendi modus est valde à Patribus vsitatus, illo enim vtitur Gelas. Pap. libr. de duab. natur. circa finem, & Concil. Tolet. XI. ex Augustino 13. de Trinit. cap. 17. vbi vtramque locutionem coniungit dicens: *Ex duabus substantiis vna persona, ac per hoc iam ex tribus, Deo anima, & carne*, & Bernardus sermone 3. in Vigil. Natiuit. Domini, & lib. 5. de considerat. ad Eugenium, vbi ait: sicut in Trinitate sunt tres personæ in vna natura, ita per hoc mysterium factum esse, vt sint tres naturæ in vna persona. Et eodem modo loquitur Innoc. lib. 4. de myst. altaris cap. 11. Indicat etiam Leo Pap. epist. 11. dicens. Verbum, carnem, & animam, vñum esse Christum. Et quamuis magis proprie dicatur Christus constare ex duabus naturis, tamen alius modus loquendi non est reiiciendus, nam est in rigore verus, & introductus est ad explicandum, verum corpus, & veram animam Christum assumpsisse: si enim purus homo dicitur ex duplici natura constare, corporali scilicet & spiritali, cur non poterit dici Christus constare ex tribus? Regulariter vero nos priori modo loqui debemus, quia est proprius, magisq; explicat, Verbum non assumpsisse corpus & animam, vt duas naturas distinctas, sed vt vnā componentes. Posterior autem modus ad refutandas expresse hæreses contrarias vsurpatus est à Patribus, & eodem modo possumus nos loqui, adhibita sufficiente declaratione.

SECTIO V.

Utrum assumpsit Christus partes omnes, quæ sunt de integritate corporis humani.

Deo primo, Verbum diuinum assumpsisse corpus integrum, & omnibus suis partibus constans. Hæc conclusio est omnino certa, & in ea, conueniunt omnes Theologi & Patres, qui de hac materia loquuntur, & fundamentum est, quia Christus non est tantum homo verus, sed etiam perfectus & integer, & neque mancus, aut mutilus, neque monstrosus, quanquam enim hoc vltimum non habeatur expresse in Scriptura, tamen cum fides doceat, Verbum factum fuisse hominem, assumendo nostram naturam, quam in Adamo plantauit, satis indicat & docet, sicut creauit Adam integrum quo-

ad omnes partes, ita etiam perfectam, & integram humanitatem assumpsisse: vt bene explicuit Leo Papa ser. 7. de Natiuit. cap. 2. & Damasc. lib. 3. de Fide c. 3. & 6. & idem est communis sensus omnium Patrum, & totius Ecclesiæ: ac denique hoc intendunt definire Concilia supra citata, cum statuunt assumpsisse Verbum nostrum corpus perfectum, quale creauit in Adam. Ratio vero facilis est, quia ita decebat, & maiestatem Verbi Dei, cuius illud corpus erat futurum, & omnipotentiam Spiritus Sancti, cuius virtute corpus illud fabricatum est, & excellentiam ipsius operis, quod sicut est maximum omnium, quæ a Deo perfectæ sunt, ita debuit integro ac perfecto modo fieri.

Dico secundo: Verbum diuinum assumpsit omnes partes corporis humani, eas præsertim quæ anima rationali informantur, non tantum mediate, & in hypostasi, sed etiam immediate, & secundum hypostasim. Explicatio horum terminorum iam supra tradita est. Conclusio vero communis est, & certa, vt vero explicetur, & probetur, aduertendum est, in corpore humano multa ad illius integritatem concurrere, vt ossa, carnem, sanguinem & alios humores, dentes, ungues, capillos, barbam, &c. quæ omnia fuisse in corpore Christi, indubitatum est ex dictis in præcedenti conclusione: quia corpus illud erat perfectum, & integrum, & naturali modo vivebat, & nutrebat, &c. Vnde consequenter fit, hæc omnia fuisse assumpta in hypostasi Verbi, de quo iam quæstio esse non potest: an vero fuerint etiam assumpta secundum hypostasim, illud potest in quæstionem venire. Secundo obseruandum est ex philosophia, quædam esse inter hæc, quæ integrant corpus humanum, de quibus certum est informari ipsa anima rationali, vt sunt partes omnes organice, & ossa, caro, &c. Alia vero sunt, de quibus dubitatur, vt sunt dentes, ungues, capilli, humores. De hoc posteriori genere partium nunc non agimus, postulat enim longiorem disputationem. De priori ergo partium genere probatur conclusio, quia corpus humanum vnitum fuit Verbo immediate, & secundum hypostasim, neque enim sola anima immediate assumpta est, sed tota humanitas, sicut in propria humana persona, nō sola anima subsistit, sed totus homo, seu tota humanitas: Verbum enim diuinum totam subsistentiam creatam humanitatis, impediuit, & perse ipsum illam terminauit: sicut ergo assumpsit animam immediate, & secundum hypostasim, ita & corpus, vt magis quæstione 6. declarabitur: sed non potuit assumere corpus secundum hypostasim, nisi assumendo partes, ex quibus corpus constat, quia ipsum corpus non est quiddam aliud à suis partibus, ergo assumpsit saltem illas partes, quæ informantur anima rationali: tum quia hæc sunt, ex quibus maxime substantialiter, & quasi essentialiter componitur humanitas, tum etiam, quia omnes hæc partes in propria persona subsistere solent subsistentia totius naturæ, quæ in Christi humanitate fuit ipsa subsistentia Verbi: ac denique quia anima, qua informantur omnes hæc partes, assumpta est, ergo & omnes huiusmodi partes corporis, quia fere eadem est ratio de omnibus, neque vlla probabilis ratio dubitandi hic occurrit.

SECTIO VI.

Utrum Verbum diuinum immediate, & secundum hypostasim assumpsit sanguinem, ad subsistendum in sua persona.

Ratio dubitandi est, quia sanguis non est pars corporis humani, neque anima rationali informatur, vt est communis Theologorum, & multorum Philosophorum sententia, quæ fundamentum habet in Aristot. libro 2. de part. animal. capit. 3. vbi sanguinem dicit esse alimentum vltimum, & esse in ve-

An Christus dicendus sit ex tribus naturis compositus.
Damasc.
Paulinus.
Aquileiens.

Gelas. Pap.
Conc. Tolet.
August.
Bernard.

Leo Pap.

Leo Pap.
Damasc.

Cap.
Sci.
Soc.
Bib.
Dm.
Pul.
Al.
Gai.

Dm.
Dm.
Gai.
Soc.

in venis tanquam in vase & c. 10. negat esse partem; & lib. 3. cap. 5. vbi dicit sanguinem esse materiam totius corporis, & esse quasi irriguum per venas, constat autem ex eodem Arist. lib. 2. de generat. tex. 27. & 38. & lib. 3. de Anima tex. 45. alimentum esse alterius substantiæ a viuentis, quia nutritio est substantialis conuersio, quæ non habet locum inter res eiusdem formæ: vnde cum alimentum incipit informari anima viuentis, iam desinit esse alimentum, & incipit esse pars, cum ergo sanguis sit vltimum alimentum, non informatur anima, sed ex illo fit proxima conuersio, & animæ informatio: quomodo intelligi possunt verba, quæ ex Arist. citari solent 3. de historia animalium. c. 19. vbi dicit, sanguinem semper animari, & feruere, quamquam hæc in codicibus Græcis non habeantur. Habet etiam hæc sententia fundamentum in D. Thom. infra q. 31. artic. 5. ad 1. vbi dicit, sanguinem non esse actum partem, & ideo quamuis corpus Christi fuerit ex sanguine Virginis formatum nihil fuisse ablatum ex corpore Virginis, quod actu esset pars eius. Et 1. part. quest. 109. artic. 1. ad 3. dicit sanguinem nondum accepisse naturam speciem, sed adhuc esse in via, vt viuatur: & alia similia testimonio refert Capreolus, qui hanc defendit sententiam in 2. d. 15. art. 3. ad 3. contra 3. consil. & in 4. distinctio. 10. q. 2. articulo 3. ad 4. Scoti contra 1. conclus. vbi etiam Scot. q. 1. artic. 2. idem affirmat, & Soto q. 1. art. 2. & d. 44. artic. 3. vbi etiam Bonau. art. 1. q. 1. ad 2. & Richardus. artic. 1. q. 2. Durandus q. 2. ad 2. Paludanus q. 1. artic. 2. n. 18. Alensis 2. part. q. 26. m. 6. & medici etiam in eandem conueniunt sententiam cū Galeno lib. 4. de vfu partium. Rationes omitto, tum quia facile ex dictis sumi possunt, tum quia res est aliena.

Ex hoc vero principio sequi videtur, Verbum non fuisse immediate sanguini vnitum, primo quia Verbum non assumpsit corpus, nisi mediante anima, vt infra q. 6. cum D. Thom. & antiquioribus Patribus dicimus, ergo, &c. Secundo, quia Verbum tantum assumpsit vnā naturam, vna autem natura constat vna materia, & forma vltima: nam cum sanguis habeat suam propriam formam, ad gradum inanimatorum pertinentem, distincta natura est a natura animata, assumpsisset ergo Verbum duas naturas. Tertio, quia in aliis hominibus substantia creata humanitatis tantum terminat eas partes corporis, quæ informantur anima rationali: neque enim potest sanguis illa substantia terminari, cum sit substantia re ipsa prorsus distincta ab humanitate. Quarto, quia partes, quæ non informantur anima, non sunt de integritate humanitatis, ergo nec assumpsit ad Verbum immediate: antecedens patet, quia humanitas est substantia per se vna, ergo vnica habet formam, ergo. Quinto, quia nunc in celo non habet Verbum sibi vnitas, nisi eas partes corporis, quæ informantur anima rationali, ergo signum est eas tantum a principio assumpsisse: patet antecedens, quia solas eas partes corporis assumpsit in resurrectione, cuius signum est quod sanguinem non assumpsit, dicitur enim adhuc manere separatim a Verbo. Sexto alias sequeretur incommoda, scilicet Verbum esse sanguinem, & per communicationem idiomatum sanguinem esse hominem: quia Verbum est homo, & Verbum est sanguis, ergo sanguis est homo, sicut dicemus, quod si Verbum assumpsisset duas naturas, esset inter illas in concreto communicatio idiomatum: vnde vltius dici posset, Verbum, vel Christum effusum in passione, & adherens cruci, &c.

Propter hæc est prima quorundam Theologorum sententia, quæ simpliciter negat, sanguinem Christi fuisse immediate vnitum hypostatice Verbo. Ita tenet Durandus in 4. d. 10. q. 1. num. 16. Franciscus de Maironis d. 43. & ferm. qui incipit, Memoriam fecit, &c. Gab. in Canonē lect. 53. & Supplem.

Gab. in 4. d. 44. q. 1. circa finem, indicat Richar. in 3. d. 2. articulo 2. qu. 1. vbi negat sanguinem Christi in triduo fuisse adorandum latria, *Quia non est, inquit, essentialis pars corporis*, & Abulensis paradox. 2. cap. 2. 40. & sequentibus dicit, in triduo non fuisse sanguinem vnitum Verbo: de sanguine vero existente in corpore viuo, non expresse id negat, sed potius dicit fuisse consequenter assumptum, quomodo etiam loquitur de omnibus partibus humanitatis.

Secunda sententia distinguit duplicem sanguinem, alterum nutrimentalem: qui non informatur anima, neque est plene decoctus, aut dispositus, nec per se requiritur ad componendum integrum corpus, sed solum ad alendum illud: alterum perfectum, & per se requisitum ad integritatem humani corporis, & non solum, vt sit alimentum, quamuis etiam possit ad hoc deservire secundum quandam accidentalem transmutationem, per condensationem, vel alio simili modo: nam substantialiter, totus hic sanguis dicitur informari anima. Quæ distinctio fundamentum habet in D. Thom. quodlibet. 5. artic. 5. & ea vtitur Caiet. infra q. 54. articulo 2. & Syluest. in Rosa aurea quæ. 31. Quæ distinctione supposita dicit hæc sententia Christum non assumpsisse hypostatice priorem sanguinem, scilicet nutrimentalem, propter fundamenta primæ sententiæ: assumpsisse vero posteriorem, ac perfectum sanguinem, propter generales rationes sectione præcedenti factas, & propter multa alia, quæ statim asseremus. Et hæc videtur esse sententia Caietani hic q. 5. articulo 2. iuncto alio loco supra citato, & indicat etiam Syluester supra. Qui consequenter duplicem in Christo sanguinem distinguit, & alium vocat salubrem, quia ex vi propriæ vniōnis habet infinitum valorem: alium tantum salubriter effusum, quia licet ex se non sit ita efficax, quia non est vnitus, tamen effusio eius propter dignitatem suppositi fuit eiusdem valoris, sicut lachrymarum effusio.

Tertia sententia affirmat, sanguinem Christi fuisse assumptum proxime, & immediate, propter testimonia Sanctorum statim citanda: dicit tamē non fuisse assumptum ex vi assumptionis humanæ naturæ integræ, & perfectæ, idque propter fundamenta primæ sententiæ, vnde concludit hoc factum esse ex peculiari Dei ordinatione, vt esset condignum pretium nostræ redemptionis. Pro hac sententia nullum inuenio autorem, quamuis in multorum ore feratur.

Dico primo, Sanguis Christi Domini proxime, & immediate fuit vnitus Verbo Dei. Hæc conclusio est hoc tempore ita certa, vt contraria non possit sine errore defendi. Eam sentit D. Thomas hic articulo 2. in corpore, iuncta solutione ad 2. vbi eodem modo loquitur de assumptione carnis, & sanguinis. Clarius id docet dicto quodlibet. 5. articulo 5. Capreol. supra, & in 4. d. 11. q. 1. articulo 3. ad 5. contra 1. conclus. Soto distinctio. 10. q. 1. articulo 2. Maior. in 3. distinctio. 3. qu. 2. Albert. Mag. tract. de Sacrific. Missæ. Turrecremat. in capit. Inuitat. de Consecrat. dist. 2. Nicol. de Lyr. ad Heb. 9. exponens illa verba, *Quantum magis sanguis Christi*. Et Remigius & alij in eundem locum, late Syl. in rosa aurea, tract. 3. q. 30. & de Dominicis sequentibus, Dominicus de Dominicis in lib. de Clementis & Sanguine Christi, & in Directorio Inquisitorum 2. p. q. 10. refertur mandato Clementis Sexti fuisse retractatam vt hæreticam, sententiam cuiusdam, qui Barcinonæ asserbat, in triduo non fuisse sanguinem Christi vnitum Verbo, ipsumque assertorem fuisse ab Inquisitoribus damnatum: quæ historia à Syluestro, & Dominico de Dominicis late refertur, qui referunt etiam Pium Secundum illam sententiam damnasce.

Et primo probari solet hæc sententia ex illis
Ee 4 locis

D. Thom.

Capreol.

Soto.

Sotus.

Bonau.

Richard.

Durand.

Palud.

Alens.

Galen.

Richar.

Abulens.

Caietani.

Syluest.

Caiet.

D. Thom.

Capreol.

Soto.

Maior.

Albert.

Mag.

Turrecre.

Syluest.

Dominic.

de Dominicis

Clementis

Pius 2.

Durand.

Franciscus de

Mair.

Gib.

Supplem.

*Ephesi. 1.
Colos. 1.
Rom. 8.
Hebr. 9.
1. Pet. 1.
Apoc. 7.
1. Ioan. 1.*

*Obiectio.
Luc. 22.*

August.

*Leo Pap.
Bernard.*

August.

Hebr. 2.

Matth. 16.

1. Cor. 15.

Cyrl.

Ioan. 1.

locis Scripturae, in quibus nostra redemptio tribuitur sanguini Christi, tanquam condigno pretio, ad Ephesi. 1. ad Colos. 1. ad Roman. 3. Per fidem in sanguine ipsius, ad Heb. 9. Quanto magis sanguis Christi, 1. Pet. 1. Non corruptibilis auro, & argento, sed pretioso sanguine, &c. 1. Ioan. 1. sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato, & Apocal. 7. dicuntur Sancti debasse stolas suas in sanguine Agni, & Luc. 22. ait Christus, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.

Sed responderi potest, sanguinem Christi, habuisse hanc efficaciam, quia effusus fuit à persona infinita, & consequenter dicentur eandem vim habuisse lachrymarum, & quæcunque alia opera Christi, tamen specialiter redemptionem tribuit sanguini, sicut tribuitur passioni, quia statuit Deus redemptionem nostram passionem suam, & effusione sui sanguinis consummare, sicut si statuisset flendo tantum nos redimere, dici posset de lachrymis Christi omnia, quæ de sanguine dicta sunt. Vnde Aug. 13. de Trinitat. capit. 15. in dignitatem suppositi hoc refert dicens. Sanguis ille, quantum eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum, & Leo Papa, ferm. 12. de Passione, capit. 3. Effusio sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, &c. eodem fere modo loquitur Bernard. ferm. 3. de Circumcis. Sed quamuis hæc testimonia, nude sumpta, possent hoc modo vitari, tamen adiunctis alijs, & consideratis omnibus circumstantijs, satis in eis indicatur, non solum effusionem, propter dignitatem patetis, sed ipsummet sanguinem, propter personam illi immediate coniunctam, fuisse infiniti valoris: præsertim cum Christus Dominus, eodem modo suo corpori, & sanguini tribuat, quod data sint in remissionem peccatorum. Vnde August. enarrat. in Psalm. 65. circa id, Terribilis est super omnes Deos, Queritis, inquit, quid emerit? Videte, quid dederit, & inuenite quid emerit, sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? quid, nisi totus orbis, quid, nisi omnes gentes? & ferm. 125. de Tempore, Pretium vite nostra sanguis est Domini, & totius mundi incolumitas sempiterna: pecunia illa, totius mundi copiosa possessio est. Sed optimum testimonium ad hoc confirmandum est illud ad Heb. 2. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Loquitur autem de Filio Dei, & de carne, & sanguine, ut significant substantiam humanitatis, iuxta id Matth. 16. Caro, & sanguis non reuelauit tibi, nam corruptio culpæ, quæ interdum nomine carnis, & sanguinis significari solet, ut 1. Corint. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, in Christo locum non habuit: quamuis si illa corruptio significet solum peccatum, seu corporis passibilitatem, sic etiã de Filio Dei dici potest, sumpsisse carnem, & sanguinem, id est naturam humanam, non in quocunque statu, sed in statu passibili, & mortali, & hic est sensus Pauli, ut patet ex verbis subiunctis, Ut per mortem destrueret, &c. ait ergo Paulus, Dei Filium participasse, seu communicasse, carni, & sanguini, per vnionem scilicet hypostaticam, quia Verbum nullo alio modo communicauit nostræ naturæ, & tamen hoc modo æque dicit, Carni & sanguini participasse: sicut ergo carnem proximè sibi vniuit: ita & sanguinem. Sic interpretantur hunc locum ibi Chrysostom. Theophyl. Theodoret. Ambros. Ansel. & apertius D. Thom. & Oecumen. qui ex Cyrillo illam refert. Quam Cyrillus significat in quadam homin. de eo quod Verbum factus sit homo: & lib. de Incarnat. vnigen. circa finem, & lib. 1. de Fide ad Reginas, lōge post medium, ubi hæc verba tractans inquit Verbum ex Deo, participes factum est carnis, & sanguinis, & lib. de Fide ad Theodos. circa princip. & epistol. 8. ad Nestor. circa finem, ita exponit illud Ioan. 1. Verbum caro factum est: Nihil aliud est, inquit, quam quod in carne, & sanguine nobiscum communicauerit. Ex quo licet colligi-

gere, vbicumque Scriptura dicit, Verbum sumpsisse humanitatem: carnem, & sanguinem complecti, ex quibus constat humanitas.

Secundo principaliter probatur conclusio autoritate Conciliorum. Nam Concil. Ephesi. can. 5. dicit, Verbum æque ac nos communicasse carni, & sanguini: & in epist. Cyril. cum Concil. Alexand. quæ habetur, & probatur in Ephesi. tom. 1. ca. 14. dicitur, verum, naturalemque Deum, carnem & sanguinem assumpsisse: & hæc omnia referuntur, & confirmantur in V. Synodo generali act. 6. longe à medio: & in Concil. Chalcedon. act. 1. pagin. 33. ad finem refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli, Verbum caro factum est, id est, Carnem & sanguinem sumpsit, & VI. Synod. act. 16. damnatur quidam hæreticus, qui dicebat carnem, & sanguinem in cruce fuisse dimissa, ubi Patres omnes illius Concilij satis sentire indicant, vtrumque fuisse eodem modo assumptum: & in act. 8. eiusdem Synodi habentur hæc verba in professione fidei cuiusdam Macharij Factus est in assumptione carnis & sanguinis, mansit tamē quod erat, Verum est, illum Macharium fuisse hæreticum, quia negabat duas in Christo voluntates, ei⁹ tamen professio in hoc solum reijcitur, non in alijs. Et confirmatur ex definitione Clementis Sexti in extrauagant. Vnigenitus, de Penitent. & remis. ubi dicit, vnam guttam sanguinis Christi fuisse sufficiens precium redemptionis nostræ, propter vnionem ad Verbum: & loquitur aperte de vnione ipsius sanguinis, non corporis, ita ut pretium fuerit infinitum ex parte rei oblatæ, & non tantum ex dignitate offerentis, Vnde in principio illius Extrauagantis præmittit, Dei Filium nostre mortalitatis substantiam diuinitati suæ coniunxisse, ut haberet vnde hominem redimeret, & Deo satisfaceret: ubi per Substantiam nostre mortalitatis, carnem, & sanguinem plane intelligit.

Et hac ratione intelligi potest dictum fuisse à Petro 1. epist. c. 1. Non corruptibilis auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. Quo testimonio vlos fuisse quosdam Theologos, de hac re disputantes coram Pio II. refert Syluest. supra, ex eoque collegisse, vocari Christi sanguinem non solum pretiosum, sed etiam incorruptibilem propter vnionem ad Verbum. Quo etiam modo Dionys. Alex. in epist. con. Paul. Samosat. dixit, Sanguinem Christi non posse corrumpi, quia est sanguis Dei viui. Refert eius Verba Turrian. lib. 4. pro epistolis Pontific. cap. 19.

Tertio afferri possunt testimonia Sanctorum, Præter citatos Leo Pap. epist. 10. cap. 5. multa dicit de infinito valore sanguinis Christi, & postea exponens illud 1. Ioan. 5. Hic est, qui venit in aqua, & sanguine Iesus Christus, dicit, per hæc significari diuinitatem, quæ ab humanitate non separatur: & Nazian. orat. 50. Verbum, inquit, caro factum est, non putatiue, sed vere, quod explicans subditerationem. Quia assumpsit corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans. Beda explicans illud Act. 20. Quam acquisiuit sanguine suo, dicit, sanguinem Dei dici propter vnionem duarum naturarum in vna persona: expressiora sunt verba Cyri. hom. 5. Ephesi dicta, ubi ait, Verbum carnem & sanguinem assumpsisse.

Similiter Epiphani. hæref. 77. prope finem ait, Verbum Dei non tantum animam humanam, sed etiam carnem & sanguinem participasse, id est, assumpsisse; & ibi longam refert epistolam Paulini, post epistolam Athanasij ad Epictet. ut ostendat, Verbum assumpsisse perfectam humanitatem & corpus omnibus partibus constans, inter quas sanguinem numerat.

Quarto confirmari hoc potest ex mysterio Eucharistiæ, nam Verbum diuinum non minus est per concomitantiam sub speciebus vini, quam sub speciebus panis, ergo non minus est vnium sanguini, quam

Conc. Ephesi.

Conc. Alex.

V. Synod.

Conc. Chalced.

Clement. VI.

1. Ioan. 5.

Nazian.

Bedæ.

Act. 20.

Cyri.

quam corpori: patet consequentia quia alias, etiam ex vi verborum consecrationis calicis tantum sit sanguis sub speciebus vini, si sanguis ille non esset immediate vnitus Verbo, non esset Verbum sub illis speciebus per concomitantiam, saltem immediate, sed ad summum media carne, & anima. Atque adeo si in triduo consecraretur sanguis, non esset ibi Verbum per cōcomitantiam: quod videtur omnino falsum, nam Christus Ioan. 6. & que de carne, & sanguine dixit. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, quod quandoque ex vi consecrationis sanguis est sub illis speciebus, ibi est suppositum diuinum: & ideo semper est idem qui offert, & quod offertur, quod totum est propter immediatam vnionem ad Verbum.*

Dices, Concilium Tridentinum sess. 13. c. 3. solum dicere, diuinitatem esse per cōcomitantiam in Eucharistia ex vi vnionis eius cum anima & corpore. Respondetur, sub corpore sanguinem comprehendisse: loquitur enim de corpore humano integro & perfecto, quod sanguinem complectitur, vltimum declarabo.

Quinto, reddenda est ratio propria, quam statim in conclu. 3. melius proponemus.

Dico ergo secundo, totus sanguis, qui fuit in corpore Christi, quique ab illo pro nobis effusus est, fuit immediate vnitus Verbo hypostatice. Hæc conclusio non est tam certa, sicut præcedens, sed mihi videtur omnino vera, & contraria, neque pia, neque secunda est. Primum, quia Scriptura sacra, Concilia, & Patres citati, indefinite loquuntur de Sanguine Christi, & in doctrinalibus locutionibus, indefinite æquiualeat vniuersali. Deinde, quia si non totus sanguis, qui fuit in corpore Christi fuit vnitus, scilicet sanguis nutritivus, ergo neque totus sanguis, qui fuit effusus, fuit vnitus: nam sine dubio magna, vel maior pars eius fuit nutritivus. & ita Caiet. fatetur de sanguine effuso in horto, & idem dicere posset de sanguine Circumcisionis, & de alius effusionibus: nam primus sanguis, qui videtur egredi de corpore, quando fit diuisio, est sanguis nutritivus. Consequens autem est valde falsum, tum quia totus sanguis effusus à Christo eiusdem valoris censetur in Scriptura, & Patribus omnibus: tum etiam, quia Clemens Sextus definit, quamlibet guttam sanguinis effusi fuisse in finiti valoris propter vnionem. Confirmatur, nam ex vi verborum consecrationis calicis, totus sanguis Christi ponitur sub speciebus: nam verbum illud, *Sanguis meus*, totum includit, sed vbiunque est sanguis Christi, vel aliqua pars eius, ibi est per cōcomitantiam totum suppositum Christi, vti probatum est.

Denique illa secunda sententia, quæ contrarium asserbat, falso nititur fundamento, etiam philosophico; quia non est verisimile, esse in sanguine ipso substantialem varietatem, quamvis quoad accidentalem perfectionem, possit esse magis, vel minus purus: quia illa substantialis distinctio nullo probabili signo colligi, aut discerni potest: quia quoad exteriora accidentia, totus sanguis est eiusdem modi, & rationis; totus etiam est in corpore continuus, nullus est etiam vsus, ad quem vnus sanguis possit deferuire, cui non videatur vtilis etiam alius: nam sanguis nutritivus, & nutritio, & actionibus animalis vitæ deferuit, & eo melius, quo purior est. Denique cum Scriptura, & Sancti de sanguine Christi loquantur, certe nomine sanguinis significant id, quod omnes homines generaliter hac voce intelligunt: omnes autem nomine sanguinis intelligunt nutritivum sanguinem, qui est in venis tãquam in vase, hic ergo sanguis fuit vnitus Verbo Dei hypostatice: sicut cum dicitur Christus cōceptus ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis, de sanguine nutritivali id intelligitur, vti ex D. Tho. supra mani-

A fesse colligitur. vnde D. Tho. nunquam in partibus ea distinctione duplicis sanguinis vsus est.

Dico tertio, Verbum assumpsisse sanguinem, non solum ob extrinsecam rationem, scilicet, vt esset precium condignum, sed etiam ob intrinsecam rationem, pertinentem ad perfectam, & integram assumptionem totius humanitatis. Hæc conclusio est contra vltimam sententiam supra citatam, & explicat propriam, & intrinsecam rationem huius assumptionis: quæ non est fundanda in hoc, quod sanguis est actus pars rationali anima informata, illa enim sententia philosophica, vel est falsa, vel certe valde dubia, vnde non videtur certa fidei veritas ad illas angustias redigenda. Præsertim cum Aristot. li. 7. Physic. tex. 11. aliquas partes animantis fateatur esse animæ expertes. potest ergo esse pars, licet non informetur anima. Fundatur ergo conclusio in hoc, quod sanguis vere ac proprie pertinet ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ, vt docet D. Thom. in 1. 2. q. 54. art. 2. ad 3. & 76. art. 1. ad 2. & quod li. 5. artic. 5. & in 4. d. 44. q. 1. artic. 2. q. 3. ad 3. vbi omnes Theologi propter hanc causam docent, sanguinem futurum esse in corporibus resurgentiū: imo Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. videtur vocare sanguinem partem corporis, dum dicit sanguinem Christi esse sub speciebus panis. Ex vi illius connexionis, quæ partes corporis inter se copulantur, quin etiam Aristot. lib. 1. de Partib. animal. cap. 1. & 8. sanguinem inter partes animalis numerat. Idem lib. 1. de histor. animal. c. 1. & lib. 3. cap. 1. Gal. lib. 2. de elem. in principio, vt latius quæst. seq. dicitur, & Seneca lib. 1. Quæst. natural. vocat illum quasi partem, quia pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quia sine sanguine, non solum integer homo esse non potest, sed neque omnino naturaliter esse potest.

Hanc etiam ob causam solet in sacra Scriptura totus homo, Caro & sanguis appellari, Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi.* Idem ad Galat. 1. ad Ephes. 6. ad Heb. 2. videlicet per synecdochen à parte totum nominando, vt Anselmus, D. Thomas, & alij ibi notant. Supponitur ergo his locis, sanguinem esse partem. Imo, cum caro & sanguis coniunguntur, per sanguinem anima significari solet, vt expositores aduertunt; & Philo, de eo quod deterius potiori insidietur, non quia sanguis sit præcipua pars, sed quia quoddammodo viuificat corpus, & ab eo maxime vita pendet. Ex quo etiam aliqui ita errant, vt sanguinem putauerint esse animam, vt refert Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6. & Aristot. 1. de anim. c. 2. Et Leuit. 17. dicitur anima esse in sanguine, id est, vita, quæ ab illo pendet, vt August. expoluit, quæst. 17. in Leuit. Ex quo signo intelligi ur, sanguinem non solum requiri per modum nutrimenti cōuertendi in substantiam aliti, sic enim posset animal, saltem breui aliquo tempore conservari sine sanguine: non autem ita est, sed simpliciter requiritur ad consistentiam corporis, & quasi ad fouendum omnia membra, & cōseruandum naturalem calorem, maxime vitæ necessarium. Deinde est veluti quoddam generale organum ad operationes animæ præstandas, præsertim ad effectus, vt sunt ira, audacia: & ad conseruationem spirituum vitalium, & animalium, qui ad vitæ cōseruationem, & vsum sensuum maxime necessarij sunt. Et hæc omnia procedunt, siue sanguis informetur anima, siue non.

Quoniam ergo Verbum diuinum factum est homo, quantum ad naturam spectat, eiusdem perfectionis, veritatis, & integritatis, quæ nos sumus, ideo assumpsit sanguinem ex vi huius perfectæ, & integre assumptionis humanæ naturæ. Et hoc significauit Paulus cum dixit, ideo Filium Dei assumpsisse carnem, & sanguinem; quia alij homines carne, & sanguine cōstant: & idem significat Conc. Ephes. cum Cyril. & alijs Patribus, cum dicit, in Scriptura sacra, quādo dicit, Verbum carnem factum esse nomine carnis sanguinis.

D. Thom.

Conc. Tri.

Arist.

Seneca

Leuit. 17. August.

sanguinem comprehendit, quia significatur tota humanitas, quæ utrumque complectitur. Idem denique significat reliqui Patres, cum aiunt, assumptis Verbum verum & integrum humanum corpus, quale à principio in nostra natura plantavit, ut patet ex Epiphonio, Nazianzeno, & aliis in locis citatis, & Damasceno lib. 3. c. 6. Aug. lib. 10. de Civit. ca. 27. & sunt optima verba Leonis serm. 8. de Natiuit. *Vtriusque nature in suis proprietatibus permanentis tanta est unitas facta communio, ut quicquid ibi sit deitatis, non sit ab humanitate distinctum, quicquid autem est hominis, non sit à Deitate diuisum: constat autem ex dictis, sanguinem aliquid esse hominis. Non ergo ex sola ratione extrinseca, seu quasi ex privilegio, sed quasi naturali concomitantia assumptus est sanguis, simul cum aliis partibus humanitatis. Quod ita explicatur, quia sicut hoc ipso, quod de aliquo dicitur, esse verum hominem, dicitur habere carnem & sanguinem: ita cum dicitur, Verbum assumptis humanitatem, hoc ipso dicitur sanguinem assumptis. Denique si tantum ex privilegio esset sanguis assumptus, sequitur, factas esse duas uniones hypostaticas, physice non connexas, sed tantum subordinatas ex intentione agentis: sicut si Verbum assumptis lachrymas, vel aliquid simile, quod esset sine ratione, & fundamentum dictum, nam ad solam dignitatem, seu valorem pretij sufficeret unio mediata, seu in hypostasi, nisi intrinseca ratio perfectæ assumptionis aliud requireret. Et rationes etiam pro prima sententia factæ urgent contra has duas uniones, hoc modo explicatas, quæ tamen in nostra sententia facile solui possunt.*

Ad primum respondetur, Verbum assumptis carnem mediante anima, sub carne aut sanguis comprehenditur, ut dictum est: intelligendum autem est illud axioma, corpus assumptum esse ratione anime, ut infra dicitur, siue talis anima informet omnes partes assumptas, siue non. Et hoc modo etiam sanguis est assumptus mediante anima, quia licet concedamus non informari ab ipsa, tamen est propter ipsam, quæ in corpore conservari non potest sine sanguine: & sanguis etiam ipse natura sua postulat conjunctionem aliquam ad animam, seu ad corpus humanum, sine quo esse, aut diu conservari non potest.

Ad secundum respondetur, sanguinis naturam esse veluti incompletam, & ex natura sua ordinatam ad complementum humani corporis, cuius aliquo modo est: & ideo Verbum assumendo carnem & sanguinem, non est dicendum assumptis duas naturas, sed vnā completam.

Ad tertium respondetur, in puris hominibus, eo modo quo natura est vnā, ita & substantiam esse vnā, natura vero ita vnā est, ut non sit omnino simplex, sed multa complectatur, ad sui veritatem & integritatem pertinentia. Eodem ergo modo substantia illius naturæ est vnā, & substantia sanguinis respectu illius est veluti partialis. Verbum ergo diuinum in humanitate Christi, totam illius substantiam suppleuit, ablata imperfectione, & compositione ipsius substantiæ: quicquid enim creata substantia, composita ex multis partibus, intelligitur terminare, perfectiori modo terminauit Verbum sua simplici substantia.

Ad quartum respondetur, sanguinem esse de integritate humanitatis, siue informetur anima, siue non: qui autem negant informari, consequenter dicunt, corpus humanum esse per se vnum, non mathematico modo, per continuationem perfectam, sed modo physico, & per quandam quasi continuationem physicam, quatenus omnes illæ partes sunt ita coniunctæ, & subordinatæ, prout ad earum conseruationem necessarium est, & prout expedit, ut anima possit illis vri, ad sua munera exercenda.

Ad quintum respondetur, certissimum esse, in resurrectione sanguinem iterum fuisse coniunctum

A corpori, & nunc etiam esse in Christi corpore glorioso: quia vero sanguinem quem Christus habuit in toto vitæ tempore, potuit excedere quantitatem sanguinis, quæ simul necessaria est ad conseruationem, & veritatem corporis humani, ideo fieri potuit, ut non omnem sanguinem, quem in vita habuit, & quæ aliquando effudit, in resurrectione iterum assumeret, ut infra in materia de Resurrectione Christi latius dicitur. Vbi etiam constat sanguinem in passionis effusum, & in resurrectione recuperatum, nonquam fuisse à verbo dimissum, & ita quoad unionem hypostaticam, non fuisse verè reassumptum, cum nunquam fuerit à Verbo distinctum: solum igitur quoad coniunctionem cum corpore, dici potest, iterum in resurrectione esse sumptum.

Ad sextum, quamquam illa incommoda sint magis de modo loquendi, quam de re: negatur tamen eorum consecutio, quia sanguis est pars, & ideo ab illo non sumitur communicatio idiomatum.

SECTIO VII.

Vtrum Verbum diuinum assumpserit alios humores, ungues, dentes, & capillos immediate, & secundum hypostasim.

I N hoc dubio omnia sunt minus certa, quæ in præcedenti. Dico tamen primo, probabilius mihi videri, alios etiam tres humores immediate fuisse unitos Verbo Dei, ut multi ex autoribus citatis sentiunt, præsertim Caietanum, Sylu, Soto, Et sumi potest ex Innoc. III. in cap. in quadam, extra de Celebratione. Missæ, vbi dicit, de latere Christi exiisse sanguinem, & aquam, ut esset signum, corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores, quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpserit. Damascen, etiam lib. 2. de Fide, ca. 12. dicit, corpora animalium ex quatuor humoribus constare, & ita solent hi omnes humores nomine sanguinis comprehendere, quia in corpore humano fere semper sunt mixti, & sese mutuo iuuant, ad conseruationem corporis, & vitæ operationes.

Vnde August. Epist. 146. dixit: Quatuor humoribus naturam carnis temperari, etiam medicina disciplina testatur. Et ideo etiam lib. de Spirit. & anima c. 15. & 33. dicit, humanum corpus quatuor humoribus constare. Quod expresse etiam docet D. Tho. in 4. d. 44. q. 1. art. 2. quæstionibus 3. in corp. & ad 3. & ibi reliqui Theologi. Idemque sentiunt Philosophi supra citati, præsertim Galen. lib. 2. de elem. in principio, vbi quatuor humores vocat elementa corporis humani; dixerat autem ipse lib. 1. elementum vocari partem rei minimam. Item lib. 1. de Anatom. & lib. de natur. hom. vbi Hypocritem in eandem sententiam refert. Lege Scaligerum, exercit. 280. c. 2.

Ex his ergo sumitur ratio conclusionis, nam isti humores sunt etiam de veritate humanæ naturæ, & per se requisiti ad conuenientem statum corporis humani, & ideo etiam in corporibus resurgentiū permanebunt. Nec refert, quod Arist. interdum hos humores excrementa vocat, sic enim de bile loquitur lib. 4. de partib. animal. cap. 2. & de pituita primo de Generat. animal. cap. 18. non enim vocantur excrementa, quia per se non sunt necessarij corpori humano, sed quia non per se ordinantur ad nutritionem, sicut sanguis. Vel certe, quia magna ex parte solent esse superflui, & tamen excrementa: per se vero necessarij sunt ad debitum temperamentum ipsius corporis, & ut sanguis ipse sit liquidus, fluens, & humidus, ac debite temperatus.

Dices: Ergo pari ratione spiritus vitales, & animales fuissent assumpti, pertinent enim ad veritatem humanæ naturæ, cum necessarij sint ad operationem vitæ, & ad naturalem statum, & conseruationem humani corporis: vnde etiam erunt in corporibus resurgenti-

SECTIO VIII.

Virum Verbum diuinum in humanitate assumpserit accidentia.

Supposita distinctione supra data, de assumptione in hypostasi, vel secundum hypostasim.

Dico primo, assumpsisse Verbum in sua hypostasi, media humanitate formas accidentales. Est certa, sumitur ex illis locis Scripturæ, quæ dicunt Christum fuisse hominem visibilem oculis corporeis, manducasse, bibisse, tristem fuisse: ac denique ex illis, in quibus dicitur habitum inuentus ut homo. Ex quibus sumunt Concilia assumpsisse naturam nostram perfectam, & quidquid in ea plantauit, & per omnia fuisse nobis similem sine forde peccati, ut loquitur Concil. Chalced. act. 5. in 2. definitione Fidei, & VI. Synod. act. 4. & 11. & frequentissime sancti Patres Leo serm. 8. de Natiuitate, Damascus Epist. 1. ad Paulin. Cyrill. Epist. 25. Epiphanius hares. 77. Aug. libr. 10. de Ciuit. c. 17. & Præfat. ad enarr. 2. Psalm. 29. Nazian. orat. 51. & 52. Damasc. lib. 1. de Fide c. 14. & lib. 3. c. 6. 22. 23. Ambrosius de Incarnation. Domin. sacram. c. 6. & 7. Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. c. 6. Ex quibus sumitur ratio, quia habere formas accidentales pertinet ad naturalem statum, conseruationem & perfectionem humanæ naturæ, ut per se euidentius est: sed Christus assumpsit perfectam humanitatem, verumque corpus humanum, quod naturaliter posset esse, operari, videri, pati, &c. ergo. Et hæc conclusio, quæ hic tantum in generali posita est, inferius euidentius constabit, cum agemus in specie de omnibus perfectionibus, & defectibus in humanitate assumptis.

Dico secundo, Verbum non assumpsit accidentia immediate, & secundum hypostasim, sed tantum in hypostasi mediante natura. De hac conclusione nihil fere dicunt expresse Theologi, omnes tamen eam ut manifestam supponunt. Probatur autem ex principio posito disput. præced. sect. vltim. quia accidens non est immediate assumptibile, & præsertim dum actu inheret, & non subsistit: formæ autem accidentales, quæ erant in Christo, actu inhererebant corpori, vel anime eius, non ergo immediate terminabantur subsistentia Verbi.

Sed contra, quia Concilia eodem modo & contextu, dicunt assumpsisse Verbum animam, & operationes, ergo intelligunt omnia immediate assumpsisse: alias etiam cum dicit assumpsisse sanguinem, posset intelligi mediate, & in hypostasi.

Respondetur, necessario intelligendum esse, assumptionem esse factam accommodatè, iuxta capacitatem vnus cuiusque rei, & ideo tota substantia, quæ capax est substantiæ, intelligitur immediate assumpta, accidentia vero, ut accidentia substantiam. Sed contra secundo, nam accidentia in Christo existunt ipsa existentia increata Verbi Dei, ergo sunt illi immediate vnita. Antecedens patet, quia in aliis hominibus accidentia existunt eadem existentia, quæ existit ipsa natura, cuius sunt, ergo & in Christo: sed natura eius existit existentia Verbi, ergo & accidentia.

Respondetur, argumentum procedere ex duobus falsis principiis, quia neque in Christo humanitas existit existentia increata Verbi, neque in ipso, aut in aliis hominibus accidentia existunt eadem existentia, quæ existit substantia, sed habent propriam existentiam accidentalem.

QVÆSTIO VI.

De modo assumptionis quantum ad ordinem, in sex articulos diuisa.



Einde considerandum est de ordine assumptionis prædictæ.

Circa quod queruntur sex.

Primo, utrum Filius Dei assumpsit carnem mediante anima.

Secundo,

Responsio. Surgentium. Respondetur primo, non esse omnino eandem rationem, quia humores habent substantiam magis stabilem, & consistentem, atque adeo magis intrinsece necessariam corpori humano: spiritus autem sunt quasi in continua successione, & facillime transmutantur, & ita magis videtur esse extra humanæ naturæ integritatem. Secundo responderi potest satis pie, & probabiliter concedendo sequelam, quia nullum habet incommodum, & quia veritas & integritas humani corporis hos spiritus requirit: unde non defunt, qui putent, eos esse animatos. Ac denique, licet in vita mortali varientur per continuam actionem, & reactionem, tamen in corpore glorioso idem perpetuo manebunt incorruptibiles. Sed quid de illis substantiis mediis inter cibum seu alimentum, & sanguinem, quæ vocantur Ros, & Cambium? cibis enim prius quam in sanguinem, vel in glutem conuertatur, in has substantias conuertitur, per quas paulatim transmutatio fit. Respondetur, has substantias non fuisse assumptas, quia non sunt de veritate humanæ naturæ, nec per se requiritur ad perfectam consistentiam eius, & vitæ operationes. Et maiori ratione non fuerunt assumptæ lachrymæ, salua, sudor, & similia excrementa, quæ nullo modo ad humanæ naturæ integritatem spectant.

Dico secundo, Probabilius etiam videtur, vngues, dentes, & capillos assumptos fuisse secundum hypostasim Verbi Dei. Et quidem de dentibus, & vnguibus fere nil dubito: tum, quia valde probabile est, informari animam rationalem, & augeri vitali modo: tum etiam, quia sunt de integritate humani corporis, & per se necessarij, non solum ad ornamentum, sed etiam ad nonnullas actiones humanas. De capillis vero res est magis dubia, sumitur tamen ex Ambrosio libr. de Incarn. Dom. sacram. c. 6. & Athanasio Epist. ad Epictet. quam refert Epiphanius hares. 77. qui dicunt, eos hæreticos, qui affirmabant diuinitatem, & carnem Christi esse eiusdem substantiæ, consequenter fuisse dicturos, Verbum in carnem, capillos, sanguinem, & ossa conuersum esse. In quibus verbis manifeste supponunt, Verbum eodem modo fuisse vnictum capillis, quo carni, sanguini & ossibus. Præterea pertinent capilli ad quoddam complementum, & ornamentum corporis humani, propter quod futuri sunt in corporibus resurgentium, teste Augustino 22. de Ciuit. c. 19. & in Enchirid. c. 88. cum quo sentiunt omnes Theologi in 4. d. 4. vbi D. Thomas q. 1. ar. 2. q. 3. ad 3. etiam sentit, illos informari animam rationalem, quod etiam indicat 1. p. q. 27. ar. 2. ergo eadem ratione credibile est, vnictos esse Verbo Dei, præsertim cum in hoc nullum sit incommodum, & ad maiorem quandam Christi dignitatem, & maiorem perfectionem huius vnionis pertineat. Dices, hæc omnia facillime transmutari, & resolui, unde fit, fere continue factam esse vnionem ad Verbum, & nouam separationem: atque adeo magnam materiæ quantitatem fuisse temporis successione Verbo vnitam, & postea omnino dimissam. Quod videtur inconueniens, & contra illud commune axioma: quod semel assumptum, nunquam dimittit, quod ex Damasceno sumptum est lib. 3. cap. 27. Respondetur hoc nullum esse incommodum, ita enim necessario dicendum est accidisse in continua nutritione, & resolutione partium omnium, etiam perfectarum, & præsertim ipsius sanguinis. Illa ergo, quæ per se fuerunt sumpta, scilicet anima, & corpus, nunquam fuerunt dimissa: partes vero corporis materiales, quæ continue resoluuntur, dimitti potuerunt, præsertim quoad illam materiam, quæ in corpore Christi resurgens futura non erat necessaria, vel saltem in materia de Resurrectione Christi dicemus.

}}{